

PETRI ABAELARDI TRACTATUS DE INTELLECTIBUS

[1] De speculationibus itaque, hoc est intellectibus, disserturi, statuimus, ad diligentius eorum documentum, ipsos primum a caeteris animae passionibus siue affectionibus disiungere, his uidelicet quae ad eorum naturam maxime uidentur accedere; deinde ipsos quoque ab inuicem propriis separare differentiis, prout necessarium doctrinae sermonum existimamus esse. Sunt autem quinque a quibus diligenter eos disiungi conuenit: sensus uidelicet, imaginatio, existimatio, scientia, ratio.

[2] Cum sensu autem intellectus tum origine tum etiam nomine coniunctus est. Origine quidem, quod quislibet quinque sensuum rem quamlibet attractando, ipsius nobis intelligentiam mox ingerit.

Videndo quippe aliquid, uel audiendo, siue odorando, aut gustando, seu tangendo, ipsum quod sentimus mox intelligimus. Adeoque a sensibus ad intellectus surgere humana imbecillitas compellitur, ut uix aliquid intellectu formare possimus, non ad corporalium similitudinem rerum quas sensuum experimentis didicimus.

[3] Vocabulo etiam nonnumquam sensus pro intellectu abutimur, cum uidelicet sensum uerborum dicimus pro intellectu ipsorum. Visum quoque pro intellectu, tam Aristoteles quam plerique alii frequenter ponunt, eo fortassis quod huiusmodi sensus similior intellectui uideatur quam caeteri. Eam quippe rem quam intelligimus sic animus ante se collocat, quomodo rem nobis antepositam aut proximam aut longinquam cernere consueuimus. Cum itaque tam origine quam nomine sensus et intellectus coniuncti sint, necessarium duxi eorum differentiam assignare, tunc etiam cum simul in anima fiunt.

[4] Differunt autem quod sensus perceptio rei corporalis est corporeo indigens instrumento, hoc est talis animae applicatio, quam in rem corporalem dirigi atque agere necesse sit et per corporeum aliquod exerceri instrumentum, utpote per oculos, uel per aures, uel quamcumque aliam corporis animati portionem sine qua nullatenus haberi ipse possit.

[5] Intellectus uero, hoc est ipsa animi excogitatio, nec corporei exercitio indiget instrumenti quo uidelicet ad excogitandum utatur, nec etiam uirtute rei existentis quam excogitetur, cum aequae scilicet et existentem et non existentem rem, siue corporalem siue incorporalem, animus sibi per intellectum conficiat, uel praeteritorum scilicet reminiscendo uel futura prouidendo, uel ea etiam nonnumquam confingendo quae numquam esse contingit, utpote centaurum, chimaeram, hircoceruum, sirenes, et alia multa. Et haec quidem clara est sensus et intellectus differentia.

[6] Praeterea sensus nullam uim deliberandi aliquid habet, hoc est attendendi aliquid secundum aliquam naturam aut proprietatem ipsius.

Unde aequae tam irrationalibus quam rationalibus communis est animalibus. At uero intellectus esse non potest, nisi ex ratione aliquid iuxta aliquam naturam aut proprietatem attendatur, etiam si sit intelligentia cassa. Quippe cum centaurum sibi animus confingit tamquam animal partim ex homine partim ex aequo compositum; itaque animalis naturam, ac per hoc corporis siue substantie, attendere eum necesse est. Et cum hominis et equi quasi partes quasdam sibi iunctas consideret, et humani quoque et equini corporis non praetermittit proprietatem.

[7] Unde intellectus minime esse potest, ubicumque ratio non subest ex qua deliberetur aliquid, hoc est attendatur iuxta naturam aut proprietatem aliquam. Rationem autem dicimus uim ipsam seu facilitatem discreti animi, qua rerum naturas perspicere ac diiudicare ueraciter sufficit.

[8] Non idem uero est rationalitas quod ratio: illa quippe omnibus angelicis et humanis spiritibus inest, ex qua rationales dicti sunt; haec uero quibusdam tantum solis scilicet, ut diximus, discretis.

Tantum itaque inter rationalitatem et rationem differre arbitror, quantum inter potentiam currendi et potentiam facile currendi, ex qua cursores Aristoteles appellat secundum membrorum flexibilium aptitudinem.

[9] Quicumque igitur spiritus ex natura propria discernere potest, rationalitatem habet. Rationem uero ille solus qui hoc facile exercere ualet, nulla etatis imbecillitate remoratus aut inconcinnitate complexionis sui corporis ex qua perturbationem aliquam trahat, ut insanus aut stultus fiat.

[10] Idem autem ratio quod animus nobis uidetur esse. Patet itaque, ex suprapositis, intellectum tam a sensu quam a ratione diuersum esse, et eum necessario ex ratione descendere tamquam propositum rationis effectum.

[11] Unde ubicumque ratio non inest, inde intellectum abesse necesse est qui semper, ut diximus, ex ratione aliquam aut naturam, utpote hominis uel equi, aut proprietatem deliberat, utpote colorem aliquem uel formam subiecti, uel eas scilicet in se ipsis speculando uel coniungendo ad inuicem, siue disiungendo ab inuicem.

[12] Ab imaginatione quoque clarum est intellectum disiungi, cum imaginatio quoque sicut et sensus nihil ex ratione deliberet, sed in his rebus quas sensimus, nihil aliud imaginatio sit quam quaedam sensus recordatio, cum uidelicet, re quam sentebamus absente, eo adhuc modo sese animus per quamdam quodammodo recordationem sensus affectum retinet, quomodo ante erat cum sentiret, nihil nunc quoque per imaginationem ex ratione deliberans, sicut nec antea per sensum faciebat. Ideo autem per imaginationem adiunxi quia, quando simul imaginatio et intellectus eidem insunt animae sicut frequenter sensus et intellectus, non possumus negare quin deliberatio quaedam insit, sed per intellectum non per imaginationem.

[13] Est itaque imaginatio confusa animae perceptio sine sensu eius scilicet rei quam imaginamur; confusam dicimus, cum nihil ipsa ex ratione deliberet sicut nec sensus. Saepe quippe sentimus ea quae nequaquam intelligentes attendimus, et cum ad exteriora quae occurrunt circumferatur sensus, animus tamen per intellectum ad alia dirigitur.

Verbi gratia, cum alicuius rei studio uel meditatione occupati tenemur, ad eam intelligentiae nostrae nisus dirigitur, non ad eas res quas praesentes uel uidemus uel aliquo modo sentimus. Alioquin uix unquam terram uel caelum, quae assidue uidemus, intelligere cessaremus.

[14] Sed et cum de eadem re sensus et intellectus simul habentur, diuersa agunt in ipsa cum longe, ut ex suprapositas liquet, actio sentiendi et intelligendi sint diuersae, cum haec uidelicet in deliberatione sit, illa minime. Sed et diuersi sensus cum in eadem re simul agunt, uel ita si simul tangam lignum et uideam, a proprietatibus suis non excidunt, diuersis eadem rem percipientes modis. Unde et uterque sine altero plene retinetur. Sic etiam intellectus, sine sensu qui cum eo erat, omnino integer permanebit in eadem scilicet rei deliberatione quae antea erat.

[15] Quod uero, cum imaginationem describemus, supposuimus sine sensu; ad hoc spectat quod, cum sensus quoque confusa sit animae perceptio nihil uidelicet ex ratione diiudicans, necesse erat ad exclusionem sensus illud supponi. Ubi enim sensus agit, imaginatio simul in ipsum agere non potest; scilicet abscedente sensu, locum eius supplet non quidem sentiendo, sed rem absentem, absque ulla discernens diiudicatione sicut et sensus facit, percipiendo, ut iam satis supra meminimus.

[16] Est itaque imaginatio de re absente tantum, cuius uidelicet presentia sensui non occurrit, sensus uero de presente tantum.

Intellectus uero aequae et de absente et de presente surgit; et notandum quod ubicumque sensus esse potest, et imaginatio. Nam et bruta animalia, rebus quas senserant abscedentibus, imaginationem earum, teste Boethio, retinent ipsis adhuc rebus quas senserant per quamdam recordationem adherentia ex imaginatione, sicut antea fecerant ex sensu; et prout ualent, quaedam longius quaedam breuius, hanc imaginationem deferunt quam sensus in eis reliquit impressam. Notandum quoque quod cum quidam omnes imaginationes quasdam sensuum, ut diximus, recordationes esse uelint, hoc est eas ex rebus sentitis solummodo haberi, Aristoteles tamen, teste Boethio super Peri hermeneias, intellectus nostros sine imaginationibus minime haberi perhibet.

[17] Unde cum plerosque de incorporeis rebus habeamus intellectus, tunc de his quoque corporeis quae nullo unquam sensu attractauimus; oportet, iuxta Aristotelem, imaginationem dici, quam nos supra descripsimus, omnem uidelicet confusam animae perceptionem sine sensu, siue illa quidem perceptio ex sensu surrexerit siue minime.

[18] Quod uero Aristoteles dicit, intellectus nostros minime absque imaginationibus haberi. ita accipiendum est, arbitror, quod, dum in aliqua re per intellectum aliquam eius naturam aut proprietatem deliberare nitimur eamque solam attendere curamus, ipsa sensus consuetudo, a quo omnis humana notitia surgit, quaedam per imaginationem ingerit animo, quae nullo modo attendimus.

[19] Verbi gratia, dum in homine hoc solum quod ad humanitatis naturam attinet intelligere nitimur, utpote animal rationale mortale, circumscriptis scilicet omnibus aliis quae ad substantiam humanitatis non attinent, profecto multa se per imaginationem nolenti animo obiciunt quae omnino ab intentione abiicimus, utpote color aliquis siue longitudo aut membrorum quaecumque dispositio et pleraequae accidentales formae corporum quas frequenter sensibus experti sumus.

Adeo quidem ut, quod mirabile est, dum aliquid tamquam incorporeum per intellectum attendo, sensuum usu tamquam corporeum imaginari cogor, uel dum aliquid tamquam non coloratum intelligo, necessitate consuetudinis sensus tamquam coloratum imaginor.

[20] Sensus quippe in nobis primum excitantur et frequentes sunt; deinde ad imaginationem, tandem ad intellectum humanus surgit animus.

Quod uero primum didicimus firmiter retinemus; hinc est illud Horatianum:

Quo semel est inbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Adeo autem, ut suprameminimus, sensus consuetudo adnectitur nobis, ut uix aut numquam aliquid intelligere ualeamus, quod non tamquam corporeum et corporeis proprietatibus subiectum imaginemur. Ideo autem dictum est uix quia fortassis, iuxta Boethium, intelligentia quam paucorum admodum hominum et solius Dei esse dicit, omnem et sensum et imaginationem ita transcendit ut sine utroque habeatur, ut uidelicet nihil animo occurrat nisi id solum quod intelligitur atque attenditur.

[21] Est itaque intelligentia huiusmodi intellectus quem nulla confusa perceptio animae comitatur, siue per imaginationem siue per sensum.

Deo autem clarum est nec sensum nec imaginationem inesse posse, cum sit utrumque confusa animae perceptio, sed perpetuo eum cuncta intellectu continere, ceu, si diligentius consideremus, idem est intelligere quod scire.

[22] Quod uero Boethius dicit intelligentiam paucissimorum hominum esse, nequaquam, iuxta Aristotelem, in hac uita contingere credimus, nisi forte per excessum contemplationis reuelatio diuina alicui fiat magisque hunc excessum mentis ab Aristotele scientiam quam intellectum appellari credimus, nec eum humani animi dicendum sed diuini; cum iam a Deo assumpta anima ipsum quodammodo induit, et deficiente et quodammodo in nobis moriente homine, suscitatur Deus.

[23] Opponit fortassis aliquis aduersus Aristotelem quod, cum sensus et intellectus simul sunt, habetur intellectus sine imaginatione. Ad quod respondemus non ita esse. Cum enim lignum quod uideo intelligo, duritiam tamen eius uel aliud aliquid quod uisus non percipit imaginor, et ita absque imaginationibus nostros intellectus non esse, bene dicit Aristoteles.

[24] Visa autem nunc differentia intellectuum ad sensum et imaginationem seu etiam rationem, restat eam ad existimationem et scientiam assignare. Inde autem maxime existimatio idem quod intellectus uidetur esse, quod nonnumquam intelligere pro existimare dicimus, et opinionis nomen, quod idem est quod existimatio, ad intellectum quandoque transfertur. Sed differunt quod existimare credere est, et existimatio idem quod credulitas siue fides.

[25] Intelligere autem speculari est per rationem, siue ita credamus esse siue minime. Unde cum audio dici:

Homo lignum est

non minus huius propositionis intellectum concipio, si tamen conceptui fidem non adhibeam, hoc est non ita ut concipio esse credam. Omnis itaque qui aliquid existimat, id quod existimat necessario intelligit; non autem e conuerso.

[26] Nec ulla est existimatio, nisi de eo quod propositio dicere habet, hoc est de aliqua rerum uel coniunctione uel diuisione. Unde numquam eam sine propositionis intellectu haberi constat.

[27] Scientia autem neque intellectus est neque existimatio, sed est ipsa animi certitudo quae non minus, absente uel existimatione uel intellectu, permanet. Alioquin dormientes scientiam amitterent, cum Aristoteles scientias et uirtutes ex diuturnitate sui inter habitus potius quam inter dispositiones collocauit.

[28] Hoc de differentia intellectuum ad supraposita quinque dici sufficiat.

[29] Nunc autem, iuxta promissionis nostrae propositum, ipsos ab inuicem intellectus superest diligenter distinguere, ut secundum eos clara fiat sermonum discretio.

[30] Distinguendum est igitur qui sint intellectus qui compositi, et qui uni quique multiplices, qui etiam sani, qui cassi, et qui ueri uel falsi dicendi sint, quidque inter componentem et compositorum referat intellectum uel diuidentem et diuisorum, seu diuidentem et abstrahentem.

[31] Simples quidem dicimus intellectus sicut et simplices quasdam actiones aut tempora quae scilicet nullis succedentibus sibi partibus coniunguntur, compositos uero e contrario. Sicut enim sermonum qui intellectus excitant, ita est et intellectuum natura, ut uidelicet sicut sermonum alii simplices sunt, singulae scilicet dictiones, alii compositi, uelut orationes quas ex diuersis necesse est confici dictionibus propriam in ipsis significationem tenentibus; ita et intellectus ex sermonibus habiti uel iuxta ipsorum instructionem habendi, modo simplices sunt qui uidelicet ex simplicibus habendi sunt sermonibus, modo compositi qui ex compositis.

[32] Sicut enim qui loquitur et dicit "homo ambulat" per plures progreditur significatiuas dictiones, ita qui audit ex singulis dictionibus proprios colligendo intellectus procedit. Primum quidem hominem intelligendo, cum uidelicet audit homo quod ad significandum hominem institutum est; postea ambulationem, cum audit ambulat, eam insuper homini copulando.

[33] Attende autem quod diximus intellectum simplicem non qui omnino partibus caret, sed qui per successionem nullas habet. Saepe enim per dictionem unam plura intelligimus simul, ueluti cum audimus "duo" uel "tria" uel etiam hoc nomen "plura", uel "populum" uel "gregem", uel "aceruum" uel "domum" et quodlibet nomen multarum comprehensiuum rerum, siue partium in quantitate conuenientium siue materiae simul et formae. Nam hominis nomen et materiam ipsam animalis et rationalitatem et mortalitatem simul determinat, sed simul omnia non per successionem in ipso nomine intelliguntur.

[34] Et plures fortasse sunt simul actiones in uno simplicis sermonis intellectu, secundum hoc quod plura concipit animus, ut uidelicet ex unaquaque re quam deliberat, unam habeat actionem. Sed tamen non minus simplex est intellectus dicendus si nullis per successionem partibus tamen dicitur; possunt itaque eadem res et per simplicem simul intellectum concipi, et per compositum succedentem. Nam et tres lapides ante me positos uno intuitu modo simul uideo, modo per successionem pluribus obtutibus unum post alium uideo.

[35] Sicut ergo sensu, ita et intellectu agitur, ut uidelicet modo aliquid simul animus per intellectum simplicem speculetur, modo per successionem diuersis intellectibus diuersa. Et haec est, ut arbitror, differentia intellectuum dictionis et orationis easdem prorsus res significantis, quod uidelicet per dictionem quae nullis scilicet significatiuis partibus constat, omnia simul intelligimus; per orationem uero, eadem per successionem colligimus.

[36] Verbi gratia, cum sit eadem secundum conceptionem rerum sententia huius nominis "animal" et eius diffinitionis quae est "corpus animatum sensibile", modus tamen intelligendi in eo, ut diximus, differt, quod per nomen simul illa tria, per diffinitionem succedenter eam intelligimus, sicut dictiones ipsas succedenter audimus priusquam naturam corporis attendentes, cum audimus corpus, deinde proprietatem animati, et postmodum sensibile.

[37] Est itaque intellectus nominis et diffinitionis eius proprie, quodammodo idem et quodammodo diuersus. Idem quidem secundum effectum intellectarum rerum, quia uidelicet in utraque uoce easdem res intelligimus.

[38] Diuersus autem, quia ibi omnia simul, hic succedenter, formas scilicet superaddendo materiae iam antea intellecte. Et cum in utroque intellectu animalis natura integre concipiatur, tam secundum materiam scilicet eius quam secundum formas, in quibus tota animalis constitutio consistit, intellectus nominis coniuictorum seu compositorum dici potest, non tamen aut coniungens aut componens et e contrario intellectus orationis.

[39] Quippe qui hoc nomen animal audit, simul haec tria: corpus, et animationem, et sensibilitatem, ut in substantia animalis coniuncta, attendit, et ideo hic intellectus, qui de rebus ut iam coniunctis habet, coniuictorum est.

[40] Ille autem coniungens est intellectus qui, per successionem progrediendo, quibusdam rebus prius intellectis alias postmodum intellectas aggregat, ueluti cum animationem et sensibilitatem materiae primitus intellecte tamquam formas per intellectum adiungimus, hoc est ut informantes eam quam primo pure conceperamus, postmodum attendimus.

[41] Sicut autem alius est intellectus coniunctorum quam coniungens, ille quippe dictionis est, hic orationis, ita intellectus diuisorum et diuidens. Sicut enim animal intellectum coniunctorum rerum facit, ita non-animal quod est infinitum nomen et sonat res quae non est animal diuisorum facit.

[42] Et sicut animalis definitio coniungentem facit intellectum, ita descriptio non animalis diudentem, quae est res quae non est animal.

Prius quippe in hac oratione:

Res quae non est animal

rem simpliciter attendo per praemissionem nominis huius quod est "res", postmodum per hoc quod subditur "quae non est animal", animalis naturam a re quadam separo, ut iam quamdam rem tamquam non sit animal concipiam.

[43] Sunt itaque intellectus coniunctorum uel diuisarum rerum: dictionum tantum. Coniungentes uero uel diidentes intellectus orationum tantum sunt. Illi quippe simplices sunt, isti compositi.

[44] Sunt plerique fortassis qui intellectus simplices nullas omnino partes habere concedant, neque scilicet per successionem, neque simul.

Qui enim, inquit, plura simul intelligit una simplici actione omnia simul attendit.

[45] Sed in hoc quidem refellendo, non nobis persistendum censemus, in quo aut comprobando aut reprobando mihi <non> occurrit ratio. Haec de simplici et composito intellectu, siue de intellectu coniunctorum et coniungente, uel diuisorum et diudente ad praesens dicta sufficiant. Nunc de uno et multiplici consideremus intellectum.

[46] Unos autem dicimus intellectus quicumque simplices sunt, uel si sunt compositi, in una coniunctione uel diuisione seu disiunctione consistunt. Multiplicem autem intellectum e contrario accipimus, hoc est quicumque horum nullum habet.

[47] Una autem est coniunctio, uel diuisio, siue disiunctio intellectus per quam animus continue, ex uno mentis impulsu, progreditur et una dirigitur intentione, per quam ei quod primum intellectum est aliquid coniungendo uel disiungendo, uel inter ipsum et aliud disiungendo, cursum quodammodo inceptum sine interruptione consummet.

[48] Tunc autem unam huiusmodi coniunctionem animus habet, cum sic aliqua per successionem attendit, ut ea sic inuicem aptet, ut per ea discurrendo unam conficiat entiam, et insuper quotienscumque ad uim unius affirmationis quocumque modo aliqua inuicem colligat, siue per praedicationem scilicet, siue per conditionis uel temporis coniunctionem, uel quolibet alio modo, dum hoc uidelicet, ut supra generaliter commemorauimus, uno mentis impulsu continue fiat.

[49] Sed haec quae tetigimus paucis declarem exemplis. Cum dico:

Animal rationale

si continue ea profero, auditor ita animal et rationalitatem concipit ut unam rem ex animali et rationalitate constituat, quod est animal rationale. Nec minus cum dico:

Animal non rationale

sic et animal et non rationale demonstro, ut tamen ad unam substantiam ea copulem, idem uidelicet tam animal quam non rationale esse insinuans. Fit itaque hoc loco, cum dicitur rationale, quaedam et coniunctio et diuisio: coniunctio scilicet non rationale ad animal, et diuisio, hoc est remotio rationalis. Nec refert ad conceptionis modum uel unitatem siue in re ita sit ut concipitur siue non, sed ad conceptus solummodo ueritatem. Aequae enim unus est intellectus lapis rationalis uel chimaera alba quomodo animal rationale uel homo albus.

Unde et huiusmodi orationes aequae unas reddunt propositiones quomodo et ille.

[50] Transitiue quoque coniunctionis intellectus unitatem essentiae non respuit, cum uidelicet dicitur "domus Socratis" uel "similis Socrati" uel "accusans Socratem" uel "utens Socrate". Licet enim suppositio obliqui casus ad eandem personam non fiat cum praecedenti dictione, ut uidelicet eadem res subiecta utrique dictioni insinuetur, sequens tamen dictio, ex positione, constructionis proprietatem quamdam determinat in re praecedentis dictionis, ex qua quidem proprietate cum illa re conuenienti, una quaedam res compacta concipitur. Cum enim dicitur "domus Socratis", ipse genitiuus, praeter propriam nominationem de Socrate, possessionem quamdam determinat circa rem praecedentis dictionis, dum eam tamquam a Socrate possessam insinuat, et tale est "domus Socratis" ac si diceretur "domus socratica". Similiter caeteri obliqui transitiue aliquibus uocibus copulati quasdam terminant proprietates circa res praecedentium dictionum, secundum aliquem modum sese habendi ad res suas.

[51] Atque ita ex rebus praecedentium dictionum et proprietatibus per obliquos circa eas determinatis, quaedam unae res compactae intelliguntur. Saepe autem contingit in uno intellectu plures fieri coniunctiones aut diuisiones siue disiunctiones, nec tamen ideo unitas tollitur intellectus, quia in toto intellectu unius coniunctionis summa est.

[52] Verbi gratia, si dicam:

Homo ambulans qui currit

uel:

Homo ambulat qui currit

duae sunt coniunctiones: una quidem cursus ad hominem, in eo quod dicitur "homo qui currit"; altera ad hominem currentem, cum adiungitur "ambulat". Haec est enim recta constructionis series:

Homo qui currit ambulans

Homo qui currit ambulat

et fit in summa totius orationis una copulatio, ambulationis scilicet ad hominem talem, id est, currentem. Sed et si dicam:

Homo qui currit est homo qui ambulat

tam in praedicata oratione quam in subiecta, una per se fit coniunctio. Sed quia ad hoc fiunt ut de ipsis rursus in summa totius propositionis una fiat coniunctio, hominis scilicet qui ambulat ad hominem qui currit, unum reddunt intellectum.

[53] Cum itaque plures coniunctiones in uno intellectu ita conueniunt ut uni subseruiant omnes, et propter hoc iste habentur ut una ex eis constituatur, unum necesse est intellectum esse ad quem habendum uno mentis impulsu continue animus tenditur.

[54] Multiplicem uero intellectum dicimus multos intellectus ab inuicem dissolutos, ut si dicam "homo lignum" uel "rationale mortale"

uel "animal" et postmodum, paululum quiescens, addam "rationale", diuisos intellectus nec ad unam rem concipiendam conuenientes, binis dictionibus demonstro, ex unaquaque scilicet dictione, re sua concepta scilicet nequaquam rei alterius alteram rem copulando, ut unum quoddam intellectus conficiat. In singulis quippe conceptionibus in se iterum animus redit, quasi in singulis motum intelligentiae suae inchoet; nec ideo continue ab uno ad alterum decurrit ac per hoc unitas intelligentiae tollitur et continuatio intercitur.

[55] Haec de unitate ac multiplicitate intellectuum satis sit inpraesentiarum dixisse.

[56] Nunc ordo est, iuxta propositi nostri praetitulationem distinguere qui sani uel cassi intellectus, qui etiam ueri uel falsi dicendi sint. Sanos quidem dicimus intellectus per quoscumque ita ut sese res habet attendimus, siue illi quidem sint simplices, siue compositi.

[57] Cassi uero e contrario dicuntur, tam simplices quam compositi, quos frequentius opiniones quam intellectus uocare consueuimus. Unde Aristoteles: "Opinio", inquit, "eius non est quoniam est, sed quoniam non est", et Boethius, in editione super Peri hermeneias: eum qui falsum intelligit perhibet magis dicendum esse decipi quam intelligere.

[58] Aristoteles tamen, tam ueras quam falsas conceptiones intellectus appellat, ubi uidelicet in eisdem Peri hermeneias dicit: "Est autem quemadmodum in anima aliquotiens intellectus sine uero uel falso, aliquotiens, cum iam necesse est, horum alterum inesse" etc. Et rursus "Circa compositionem enim", inquit, "et diuisionem est ueritas uel falsitas". Sanos autem intellectus Aristoteles in eodem rerum similitudines appellat, hoc est ita concipientes ut rei status sese habet, ueluti cum hominem intelligo, uel etiam hominem esse risibilem, uel non esse rudibilem.

[59] Singuli intellectus, quia cum statu rerum concordant, sani sunt.

Cassi uero quidem e contrario sunt, ut si uidelicet intelligam chimaeram quae omnino non est, uel chimaeram esse aliquid cum omnino nihil sit, quia enim hic intellectus chimaerae, in rerum euentu, rem subiectam non habet quae uidelicet res, secundum huiusmodi intellectum, sane deliberari ualeat, ut scilicet eam rem ueraciter attendi chimaeram liceat, cassus est omnino intellectus. Sic etiam intellectum huius nominis, quod est "homo", cassum esse contingeret, si haberetur homine ex toto non existente.

[60] Veros autem uel falsos intellectus dicimus eos solummodo qui compositi sunt; tam componentes, sicut eos qui sunt affirmationis, quam diuidentes, sicut eos qui sunt negationis. Iuxta illud quidem Aristotelis, quod supra meminimus "Est autem quemadmodum in anima"

etc., et rursus "Circa compositionem enim" etc.

[61] Nota quod, cum dicimus secundum simplicem intellectum aliquam rem uel uere uel falso deliberari, ut si aliquam rem hominem uel chimaeram esse attendam, non ita esse accipiendum ut per simplicem intellectum id faciamus, ita scilicet ut ipse simplex intellectus aliquid esse aliquid concipiat, hoc est ad hoc intelligendum sufficiat quod nequaquam est, nisi componentis intellectus qui per affirmationem exprimendus est, non per simplicem dictionem.

[62] Est itaque aliud secundum intellectum aliquem deliberari aliquid, aliud per intellectum deliberari aliquid, hoc est ipsum sufficere ad attendendam quamcumque rerum coniunctionem uel diuisionem, ut ex hoc deliberatio ipse dicendus sit. Ille quippe intellectus, secundum quem deliberatur aliquid, pars est deliberantis intellectus in qua uis totius deliberationis consistit, ut sunt intellectus praedicatorum terminorum, ueluti cum hominem esse animal, et margaritam esse lapidem siue albam proponimus.

[63] Subiectus quippe terminus tantum ad accipiendum est rem quam deliberare uolumus; ponitur praedicatus uero ad denotandum statum secundum quem eam deliberari uolumus, hoc est attendi eam secundum illius status proprietatem quem ei copulamus. Unde bene secundum intelligentiae quoque, non tantum constructionis ordinem, subiectum dicimus terminum per quem, in intellectu primo, res substernitur quam deinde, in copulatione uel remotione alicuius, deliberemus. Quae quidem copulatio uel remotio, coniunctio uel disiunctio, praedicato perficitur, in qua scilicet coniunctione uel remotione praedicati de re subiecta id quod de ipsa demonstrare intendimus dicimus.

[64] Unde cum dicimus:

Socrates currit

uel:

Socrates non currit

si quis de quo loquamur quaerat, respondemus "de Socrate"; et si quid de ipso dicamus interroget, respondemus currere ipsum uel non currere, quod scilicet ad copulationem uel remotionem praedicati pertinet. Unde et bene Aristoteles pro "praedicari", "dici" utitur, ut uidelicet praedicatum de subiecto dici astruat, non subiectum de praedicato, et sit praedicatum quod dicitur, et subiectum de quo dicitur. Illud quippe dicitur, siue significatur, de aliquo per quod appositum de ipso aliquid monstratur. Unde et significari praedicatum dicit, cum ait in secundo Peri hermeneias significans aliquid de aliquo, hoc est praedicando essentiam, et in eodem, ipsas praedicatorum coniunctiones uel remotiones uocat appositiones. Sicut autem in eo quod dicitur uis enuntiationis consistit, in quo ipsa consummatur atque perficitur, ita in intellectu termini qui dicitur, hoc est praedicatur, uis deliberantis intelligentiae constituitur.

[65] Omnis itaque intellectus siue simplex, ut homo, siue compositus, ut homo albus, secundum quem res aliqua uere deliberari potest, sanus est, etiam si quadam significari uoce possit quae de nullo uere enuntiarum queat, ut sunt diuidua nomina, sicuti "quisque", "omnis", "uterque". Tantumdem quippe ualet in intellectu "quisque" uel "omnis" simpliciter dicta quantum si dicatur "multitudo omnium rerum". Et "uterque" quantum "isti duo" uel "illi duo". Cum itaque multitudinem omnium rerum attendimus esse multitudinem omnium rerum, fit deliberatio secundum intellectum horum nominum "quisque" uel "omnis". Et cum attendimus istos duos esse istos duos, secundum intellectum huius nominis relatiui, quod est "uterque". Licet enim haec nomina quae diuidua sunt, in constructione cum illis uocibus quae diuidue non sunt, sed magis collectiue, eosdem habent intellectus, non tamen idem in enuntiatione ualent, cum haec nomina de aliquo praedicata diuisim, hoc est sigillatim, omnes res quas continent copulent. Unde diuidua dicuntur; illa uero coniunctim, id est omnia simul, non singula per se.

[66] Similiter et subiecta eadem uim in subiectione custodiunt quam habent in praedicatione. Ut uidelicet, per ista quae diuidua sunt, singulae res praedicato supponantur; per illa uero, omnes simul; licet haec sit praedicationis diuisorum et subiectionis differentia, quod, per positionem copulata, falsam semper enuntiationem reddunt, ueluti si dicam "uterque est uterque", uel "omne est omne", hoc est unaquaeque res est unaquaeque.

[67] Vere autem subiecti non recusant, ueluti cum dicimus "uterque est homo" uel "unumquodque est aliquid"; eadem etiam fortasse in intelligentia uoces sunt, si dicatur "homo et equus" et dicatur "homo uel equus". Nihil quippe ad intelligentiam referre uidentur, sed ad constructionem. Nam aequae hic et ibi hominem et equum duo haec mente concipio. Sed in constructione, uoces iste aliis sociatae longe diuersum efficiunt sensum. Non est itaque necesse ut eadem sint penitus uoces in significatione, idem penitus in contextu constructionis ualeant, de quo plenius in constructionibus prosequimur.

[68] Differt autem ab inuicem diuidens, et disiungens, et abstrahens intellectus, quod diuidens intellectus negationis est, et aliquid ab aliquo remouet; ueluti si intelligam hominem non esse equum, uel sanum non esse aegrum, uel stantem non sedere. Disiungens uero affirmationis, nec remotionem aliquam alicuius ab aliquo facit, sed ex pluribus quae mente concipit, unum tantum constituit, ut si aliquid esse hominem uel equum intelligam, uel esse sanum aut aegrum, uel aut stare aut sedere; ac similiter, quicumque sunt hypotheticarum disiunctarum intellectus, disiungentes dicuntur. Quod quidem uis ipsa disiunctuarum coniunctionum facit.

[69] Illud quoque inquiri ac definiri necessarium iudico utrum omnis intellectus, aliter quam res sese habeat attendens, cassus ac uanus dicendus sit? Et rursus, utrum omnis, qui rem aliquam ut se ipsa habet concipit, sanus sit iudicandus?

[70] Si enim sic esse ponamus quod equidem ponendum uidetur, nonnulla fortassis ibi curremus inconuenientia. Omnis quippe per abstractionem habitus intellectus rem aliquomodo aliter quam se habet concipit; et si alio modo eam ut se habet attendit, et uix aliquis intellectus de re sensui non subiacente habetur, qui eam in aliquo aliter quam subsistat non concipiat? Per abstractionem autem illos dicimus intellectus qui, uel naturam alicuius formae, absque respectu subiectae materiae, in se ipsa speculantur, uel naturam quamlibet indifferenter, absque suorum scilicet indiuiduorum discretionem, meditantur.

[71] Verbi gratia cum colorem corporis uel scientiam animae in proprio esse suo attendo, in eo scilicet quod color est, uel scientia, seu qualitas, uel in quocumque alio esse suo substantiarum subiectarum respectu composito, tunc equidem uis rationis, formas a subiectis substantiis quodammodo abstraho, eas uidelicet solas in propriis naturis per se speculando, non cum ipsis subiecta earum attendendo.

Sed cum naturam humanam, quae singulis inest hominibus, ita indifferenter considero ut nullius hominis personalem discretionem attendam, hoc est simpliciter hominem excogito in eo scilicet tantum quod homo est, id est animal rationale mortale, non etiam in eo quod est hic homo uel ille, uniuersale a subiectis abstraho indiuiduis.

[72] Fit itaque abstractio superiorum ab inferioribus, siue scilicet uniuersalium ab indiuiduis per praedicationem subiectis, siue formarum a materiis per foundationem subiectis.

[73] Subtractio uero e contrario dici potest, si quis uidelicet subiecta superpositis subtracta per intelligentiam tollat, ac per se haec quoque sine illis conspiciat; ueluti cum aliquis subiectae naturam essentiae, absque omni forma, nititur speculari.

[74] Uterque autem intellectus, tam abstrahens scilicet quam substrahens, aliter quam res se habet concipere uidetur, cum uidelicet utroque res coniunctas diuisim intelligo, quae diuisim non subsistunt; modo uidelicet solam materiam per se, modo solam attendendo formam; praeterea nemo, cum aliquam rem attendit, eam excogitare sufficit secundum omnes naturas eius aut proprietates, sed secundum aliquas tantum. Cum itaque rem quamlibet secundum

aliquas tantum naturas eius uel proprietates attendimus, ipsa autem res non secundum eas tantum quas consideramus sese habet profecto aliter quam ipsa sit eam consideramus.

[75] Verbi gratia hoc corpus et corpus est, et homo, et calens, et candidum, et innumeris aliis naturis uel proprietatibus subiectum; et aliquando tamen ipsum in eo tantum quod corpus est attendo, non in eo quod homo est, uel quod calet, uel quod albet; et sic in singulis rebus quas intellectus noster percipit, aliquam tantum quae illis rebus insunt, non omnia, attendit. Praeterea cum quislibet corpoream naturam simpliciter ac pure concipit, in eo scilicet tantum attendens quod est corporea, id est corpus, aut quamlibet naturam ut uniuersalem capit, hoc est indifferenter absque ulla scilicet personali discretione eam attendit profecto aliter eam intelligit quam subsistat. Nusquam enim ita pure subsistit, sicut pure concipitur; sed ubicumque sit, innumeras, ut dictum est, aut naturas aut proprietates habet quae minime attenduntur; et nulla est natura quae indifferenter subsistat, sed quaelibet res, ubicumque est, personaliter discreta est atque una numero reperitur.

[76] Corporea quippe substantia in hoc corpore, quid est aliud quam hoc corpus?...uel humana natura in hoc homine, hoc est in Socrate, quid aliud est quam ipse? Nihil utique aliud, sed idem penitus essentialiter.

[77] Quis etiam res absentes uel insensibiles atque incorporeas quas nullo attractat sensu, ut qualiter sese habeant cognoscere queat, longe aliter quam sint non excogitet? Quis enim, cum aliquam conspexerit praesentem quam prius absentem cogitauerat, non reperiatur eam in multis contrario modo sese habuisse quam excogitauerat? Quis etiam res incorporeas ad modum corporearum non concipiat, ueluti cum Deum aut animam cogitat, non eam iuxta formam habitumque aliquem corporis attendat, quem tamen minime ipsam habere constat? Quis non ipsos spiritus tamquam localiter circumscriptos ac membris compositos atque coloratos attendat, aliisque innumerabilibus modis, quibus sola corpora sese habent, ipsos excogitet? Quippe, ut longe suprameminimus, tota humana notitia a sensibus surgit. Ac per hoc, insensibilium rerum status ad modum sensibilium excogitare, ipsa nos sensuum experimenta compellunt. Si itaque quotiens animus rem quamlibet aliter intelligit quam subsistit, uanus dicendus sit intellectus, quis intellectus humanus, iuxta rationes expositas, uanus dicendus non est?

[78] Nunc autem aliam propositi nostri prosequamur partem utrum uidelicet omnis intellectus sanus sit dicendus qui, ita ut sese res habet, eam intelligit? Quod, cum facile ab omnibus recipiatur, habet tamen etiam hoc nonnullam inpugnationem.

[79] Quippe qui hunc hominem asinum esse intelligit, quod omnino falsum est, non quid, in eo ipso quod hoc intelligit, intelligit et ipsum esse animal, et quoddam animal esse asinum, quae utraque uera sunt? Si enim, iuxta aristotelicam sententiam secundi libri Peri hermeneias, eum qui opinatur, hoc est intelligit, bonum esse bonum, necesse id ipsum opinari non esse malum, multo itaque probabilius qui intelligit hunc hominem esse asinum, hoc est esse animal tale, concedendus est intelligere esse animal, cum in asino necesse sit animalis substantiam intelligi, sicut etiam uis ipsa nominis specialis quod est asinus proficitur, in quo generale ipsum, quod est animal, necesse est per intelligentiam contineri. At non ita in uno contrario necesse est alterius contrarii intelligentiam concipi. Ac per hoc, profecto qui intelligit hunc hominem esse asinum, uerum intelligere conuincitur. Unde et hunc falsum intellectum, qui ut sese res habet concipit, uerum concedi conuenit. At rursus, quis non abhorreat ueritatem et falsitatem, contrarias formas intellectuum, eidem simul inesse intellectui, uel ab eadem anima, quae indiuisibilis est, simul sustentari?

[80] Nunc itaque suprapositas soluamus quaestiones, atque inpugnationes ipsas, quae ueritatem perturbare uidentur, impugnemus.

[81] Quod igitur primo quaesitum est, utrum omnis intellectus aliter quam res sese habeat attendens eam uanus sit, duobus modis intelligi potest. Nam et cum dico "intelligo istam rem aliter quam sit", duo sunt sensus. Unus quidem huiusmodi si ita dicam quod alius modus sit intelligendo rem, alius in subsistendo, hoc est alius modus sit in intelligentia eius, alius in subsistentia ipsius. Veluti si diuisim attendam esse, cum ipsa tamen diuisim non subsistat, hoc est sine aliquo sine quo ipsa non permanet, uel si pure, uel si quis alius modus sit intelligentiae mee quam existentiae rei; et hic est unus sensus, cum dicitur intelligo istam rem aliter quam sit, uel quam sese habeat. Alius uero sensus est si ita dicam "intelligo hanc rem aliter quam sit", hoc est in statu alio eam attendo quam ipsa in se habeat, uel quocumque modo sese aliter habentem quam sese habeat. Et in primo quidem sensu, hoc aduerbium "aliter" ad hoc uerbum "intelligo" tamquam modus ipsius copulatur; in secundo uero sensu, ad participium uel infinitiuum uerbi sequentis, quod ex ipso uerbo suo subaudiendum innuitur, ac si ita dicatur "intelligo rem aliter entem uel aliter esse quam ipsa sit", uel "aliter se habentem uel se habere quam se habeat". Sic itaque quaestio supraposita potest intelligi, cum uidelicet quaerebatur utrum omnis intellectus, aliter quam res sese habeat attendens eam, uanus sit -- et secundum diuersos sensus, diuersae dandae sunt responsiones.

[82] Si enim ita quaeratur utrum omnis intellectus qui alium modum attendendi habet quam res subsistendi uanus sit -- non est concedendum. Multi namque et innumerabiles modi sunt intelligentiae cuiuslibet rei, qui non sunt existentiae ipsius, sicut ex suprapositis liquet. Si uero ita dicatur utrum omnis intellectus attendens rem aliter se habentem quam ipsa se habeat, uanus sit? concedendum est.

Eisdem modis determinandum est et respondendum, cum quaeritur utrum omnis qui dicit aliter rem se habere quam se habeat, dicat falsum? Si enim ad hoc uerbum, quod est dicit, copulemus hoc aduerbium aliter, et non ad hoc uerbum, quod est habere, non est concedendum, ut, quicumque dicit aliter rem aliquam se habere quam ipsa se habeat, dicat falsum.

Cum enim aliquis, loquens celeriter, de eo qui lente currit dicit eum currere, itaque aliter dicit hoc illum facere quam ipse hoc faciat, quia hoc celeriter dicit quod ille celeriter non facit, dum uidelicet iste, hoc dicendo, celeriter uerba proferat, cum ille celeriter cursum non agat.

[83] Nunc ad alterius quaestionis terminationem transeamus utrum uidelicet omnis intellectus sanus sit dicendus qui, ita ut sese res habet, eam intelligit?

[84] At fortasse, nisi apponamus tantum, non uidetur annuendum, propter supraposita scilicet obiecta. Si autem ita dicamus quod omnis intellectus qui rem quamlibet eo modo tantum attendit quo ipsa se habet, sanus est dicendus, ab omnibus statim recepitur ut, si Socratem intelligam esse animal, uel non esse asinum, et in hoc solo quiescat intellectus meus, uel si intelligam tantum quoddam animal esse asinum, hoc est quod quoddam animal sit asinus. Si autem intelligam Socratem esse animal irrationale, non intelligo tantum illo modo eum se habere quo se habet, quia, per hoc quod irrationale super aggrego, modum quo se Socrates habet super gradior et excedo.

[85] Quisquis itaque aliquam rem intelligit tantum eo modo quo se habet, sanum in hoc intellectum habet. Sed non fortassis ideo necesse est simpliciter concedendum esse, ut uidelicet omnis intelligens aliquam rem eo modo quo se habet sanum habeat intellectum, nisi forte addamus in eo quod illud intelligit.

[86] Nam fortasse cum intelligo Socratem esse animal irrationale, in eo quod ipsum attendo esse animal, quod uerum est, uerum habeo intellectum, qui est pars compositi intellectus falsi, sed non in eo quod hoc totum attendo esse animal irrationale.

[87] Quod, si quis obiciat quod eadem ratione concedendum sit quod, is qui intelligit Socratem esse asinum, hoc est animal irrationale tale, uerum uel sanum in hoc habet intellectum, pro eo scilicet quod intelligat eum esse animal, non est audiendus. Cum enim hoc nomen asinus, quia simplex est sermo, simplicem habeat intellectum et non ex partibus coniunctum, non possimus in praedicatione eius intellectus diuersarum enuntiationum distinguere, ut aliquem eorum sanum ualeamus dicere. Totam quippe substantiam ac naturam asini simul in hoc nomine, quod est asinus, significamus atque copulamus, et non per partes.

[88] De eo autem quod dictum est, obici solet quod omnis qui intelligit Socratem esse asinum, intelligit quoddam animal esse asinum, et omnis qui intelligit quoddam animal esse asinum, intelligit uerum, et ita omnis qui intelligit Socratem esse asinum, intelligit uerum; facile responsum damus quod uidelicet, si medius terminus in eodem sensu sumatur, firma sit omnino complexio. Sed tunc, pro diuersa acceptione eius, modo altera et modo altera de praemissis propositionibus probanda erit.

[89] Est autem medius terminus intelligit quoddam animal esse asinum, quod duobus modis accipi posse uidetur. Uno quidem modo, si ita dicamus intelligit de quodam animali quod sit asinus, et ita uera est prima propositio et falsa assumptio; alio modo, si ita dicamus intelligit hoc quod quoddam animal est asinus, ac si dicatur: habet intellectum huius particularis affirmatiue *Quoddam animal est asinus*. Et tunc quidem falsa est prima propositio et uera assumptio.

[90] Possumus fortasse, et illud non irrationabiliter, dicere quod nemo intelligens Socratem esse animal irrationale, intelligit in hoc eum esse animal, licet in intellectu hoc toto ille tamquam pars inclusus uideatur. Eo quippe modo dicimus intelligere quo dicimus proponere. Tota autem haec propositio:

Socrates est animal irrationale

non proponit Socratem esse animal, sed pars eius, sicut nec ista consequentia

Si Socrates est margarita, Socrates est lapis

proponit Socratem esse margaritam, uel Socratem esse lapidem.

Alioquin, falsum proponeret haec consequentia, et illa propositio uerum. Et ita qui hoc diceret, falsum diceret, et qui illud dicerent, uerum. Sic, neque is qui intelligit Socratem esse animal irrationale, in hoc toto attendit esse animal, cum in hoc solo nisus animi sui non perficiatur; neque quod intelligit quod si Socrates est margarita, Socrates est lapis, per hoc intelligit aut Socratem esse margaritam, aut Socratem esse lapidem; neque hoc enim pro omni conceptu animi recte quis intelligere dicitur, sed pro illo tantum conceptu in quo nisus ipse animi atque eius explicatio consummatur atque perficitur.

[91] Unde non est necesse ut, si alicuius intellectus conceptum habeam, quoquomodo ideo illud intelligere dicar; et licet intelligere simpliciter sumptum sit ab intellectu, non tamen ideo intelligere hoc sumptum est ab intellectu huius rei, cum uidelicet, ut supra notauimus, intelligere, hoc non sit simpliciter hunc intellectum habere, sed, sic eum habere ut insuper, nisus animi terminetur ibi ac perficiatur. Nam et significare idem est quod intellectum constituere, non tamen significare aliquid idem est quod intellectum de eo constituere. Alioquin, cum singuli sermones, intellectus quoque, sicut et res, significare dicuntur, non tamen ideo de intellectibus rursus alios intellectus constituunt.

[92] Solet frequenter quaeri de significatione atque intellectu uniuersalium uocum, quas res uidelicet significare habeant, aut quae res in eis intelligantur. Ut, cum audio hoc nomen homo, quod pluribus commune est rebus ad quas equaliter se habet, quam rem in ipso intelligam quaeritur. Quod si, prout oportet, respondeatur quod homo in ipso intelligitur, superest quaestio quomodo id uerum sit, non uel hic homo uel ille uel alius aliquis ibi intelligatur, cum uidelicet omnis homo aut hunc, aut illum, uel aliquem alium esse constet.

[93] Sicut enim, inquit, cum homo sentitur, necesse uel hunc uel illum uel aliquem alium sentiri, eo uidelicet quod omnis homo sit uel hic uel ille uel alius, ita et de intellectibus ad similitudinem sensus, ratiocinantur, ut uidelicet, si homo intelligatur, necesse sit uel hunc, uel illum, uel aliquem alium intelligi. Praeterea, "homo" nihil aliud sonat

quam quidam homo. Unde et qui hominem intelligit, profecto quemdam hominem intelligit, et ita hunc uel alium intelligit. Quod omnino falsum apparet.

[94] Ad quod respondendum, arbitror, quod, si recte ratiocinari uolumus, oportet significatorum enuntiatorum sensus diligenter attendere, ut secundum haec, uim complexionis diligenter queamus discernere. Cum itaque dicimus "homo intelligitur", hic est sensus, quod aliquis per intellectum naturam concipit humanam, hoc est animal tale attendit. Unde si postmodum procedatur ita "sed omnis homo est hic uel alius, ergo concipit hunc uel alium", non recte syllogizat; immo ita potius dicendum esset: "Sed omnis intelligens hominem intelligit hunc uel illum". Tunc quippe recte medius terminus seruaretur, et coniunctio extremorum per eum recte procederet. Sed falsa esset assumptio. Similiter et cum dicitur "cappa desideratur a me", hoc est desidero cappam, licet omnis cappa sit haec uel illa, non tamen inde consequens ut hanc cappam uel illam desiderem. At si ita diceretur "ego desidero cappam, et omnis desiderans cappam desiderat hanc uel illam", tunc equidem recte argumentatio procederet. Quod si quis dicat quod, eadem ratione, nec illa complexio concedenda est quod, si sentio hominem, cum omnis homo sit hic uel ille, sentio hunc uel illum, concedo utique non esse firmam complexionem; ex natura tamen ipsius sensus qui nonnisi in aliquam rem existentem agat, exerceri non potest concedendum, arbitror, quod si quis hominem sentiat, hunc uel illum sentiat. At uero, intellectus non minus haberi potest, etiamsi res non sit. Quia, et eorum quae iam praeterita sunt, per memoriam recordamur; et quae futura sunt, per prouidentiam iam concipimus; et quae etiam numquam sunt, nonnumquam opinamur atque fingimus, ut chimaeram, centaurum, sirenes, hircoceruum.

[95] Non est itaque necesse ut, si hominem intelligam, uel aliquem conceptum habeam in quo naturam humanam concipiam, ideo hunc hominem uel illum attendam, cum multi alii et innumerabiles conceptus sint, in quibus humana excogitatur natura; sicut haec ipsa simplex conceptio huius specialis nominis, quod est homo, uel hominis albi simpliciter, uel hominis sedentis, uel etiam hominis cornuti, etsi numquam ille sit; et in quibuscumque conceptionibus natura humanitatis attenditur, siue cum discretione certae personae, ut Socratis uel alicuius alterius, siue indifferenter, absque ulla scilicet personae certitudine.

[96] Quaerit etiam illud fortassis aliquis cum audio "omnis homo", utrum intelligam omnem hominem, uel cum dicitur de aliquibus duobus quod alter eorum currit, ut si intelligam alterum eorum currere, uel cum dicitur "chimaera quae est alba", utrum intelligam chimaeram quae est alba sicut cum audio "chimaera" intelligo chimaeram, necnon etiam utrum cum audio hoc nomen "nonintelligibile", intelligam nonintelligibile?

[97] At uero quis non recipiat quod, si intelligam omnem hominem, hoc est unumquemque, non intelligam etiam istum? Nisi forte quis ita profiteatur se omnem hominem intelligere, ac si dicat se huius orationis quae est "omnis homo" habere conceptum, quod quidem uerum est, etiam si neque hunc, neque illum distingat. Nam et cum dicimus quod haec propositio "omnis homo currit" dicit omnem hominem currere, non tamen ideo ponimus quod proponat Socratem currere, uel Platonem.

Alioquin multiplex esset, non una, sicut Aristoteles perhibet. Nobis tamen uidetur non recte posse dici ut, quis omnem hominem intelligat, nisi etiam Socratem et singulos attendat -- quod nemo unquam facere, credo, sufficit.

[98] Sed neque, cum dicitur "alter istorum currit", hoc est quidam ex iis currit, uidetur concedendum ut intelligam alterum eorum currere, sed potius ut neutrum, cum uidelicet neque hunc currere intelligam, neque illum. Et cum dicitur "quidam homo currit", nullus potius dicitur ibi currere quam quidam, cum uidelicet neque hic dicatur ibi currere, neque ille.

[99] Ad quod responderi potest quod, sicut haec propositio "alter istorum currit" duos habet sensus: unum uidelicet hypotheticum disiunctae huius aut hic currit, aut ille currit; alterum categoriae habentis disiunctum subiectum, ac si dicatur "hic uel ille currit"; ita et cum dicitur "intelligo alterum istorum currere", uel dico hominem currere quemdam, duo sunt sensus in singulis. Unus quidem quod intelligo quod alter currit, uel quod dico quod quidam currit; alius quod intelligo de altero quod currit, hoc est uel hunc intelligo currere, uel illum intelligo currere, uel dico similiter de quodam quod currit. Et secundum priorem sensum, concedendum est quod quaerebatur, et non secundum alterum. Sed et fortasse, cum dicitur neutrum intelligo currere, uel nullum hominem dico currere, plures sunt sensus in singulis. Unus quidem affirmatiuus, et duo negatiui. Si enim ita accipiatur "intelligo quod neuter currit", uel "dico quod nullus currit", affirmatiuus est sensus. Si uero ita quod neutrum intelligo currere, hoc est non intelligo quod alter currit, uel ita neque intelligo hunc currere, neque illum, duo sunt negatiui sensus, et primus quidem sensus est negationis diuidentis eius affirmationis, quam supra concessimus. Similiter determinandum est de eo quod dictum est "nullum hominem dico currere".

[100] Quod uero quaesitum est utrum cum dicitur "chimaera quae est alba" intelligam chimaeram quae est alba -- nullo modo concedendum est, licet id uerum sit quod habeam intellectum huius orationis "chimaera quae est alba". Tale est enim "intelligo chimaeram quae est alba" ac si dicatur: habeo conceptum quo excogito chimaeram et ipsa est alba. Si autem dicatur "intelligo chimaeram albam", uerum esse potest, si uidelicet habeam intellectum huius orationis "chimaera est alba".

[101] Illud autem concedendum aliquo modo uidetur quod, cum audio hoc nomen "nonintelligibile", intelligo nonintelligibile, hoc est habeo talem conceptum in quo excogito aliquid tamquam nonintelligibile. Si uero ita dicatur "intelligo nonintelligibile", hoc est habeo intellectum de aliquo, et non potest illud intelligi, falsum est omnino. Et fortassis hic est magis proprius sensus. Sed et cum dicimus "non diuisibile aliud hoc, aliud illud", si quis ob hoc dicat quod non diuisibile diuiditur, non uidetur omnino uerus esse sensus. Similiter et si dicam "Socrates est non

praedicabilis de pluribus" uel "est quod non praedicatur de pluribus", et similiter Plato, si ideo dicamus "non praedicabilis de pluribus" uel "quod non praedicatur de pluribus praedicari de pluribus", nullo modo uere dici uidetur. Si uero addamus "hoc uniuersale non diuisibile diuiditur", uel "hoc uniuersale non praedicabile de pluribus praedicatur de pluribus", additio haec, uerum quem intendimus ostendit sensum.

[102] Quaerit et illud fortassis aliquis utrum quando intelligo chimaeram, et talis est sensus quod habeo conceptum huiusmodi, possit dici quod intelligo chimaeram quae est intellectus? Verum quippe est quod habeo conceptum huiusmodi qui est intellectus. Ac rursus quis recipiat quod intelligam chimaeram quae est intellectus, nisi et chimaeram intelligam, et illa sit intellectus? At profecto si chimaera sit intellectus, utique et ipsa est. Et cum "chimaera" dicat animal tale, profecto et quoddam animal intellectum esse constat.

[103] Ad quod respondeo quod cum dicitur:

Intelligo chimaeram

uel:

Chimaera intelligitur

figuratiua est locutio. Si uero dicam:

Intelligo chimaeram quae est

transit in locutionem propriam, quia iam per hanc orationem:

Chimaera quae est

agitur tamquam personaliter de re aliqua quae constituitur et ponitur esse. Nam et cum dicitur "quae est", non "qui est", ad chimaeram personaliter relatio fit per femininam uocem, quae eiusdem est generis, non ad intellectum. Et notandum quod est necesse quod, cum hae duae orationes "intelligo chimaeram" et "habeo talem intellectum eius" sint sensus per se dictae quod, ideo cuilibet alicui coniunctae, eum penitus intellectum seruent, quia saepe eius sensus sunt sermones per se sigillatim dicti, qui tamen in contextu constructionis longe aliam uim habent.

[104] Haec de speculationibus, hoc est intellectibus, dicta nunc sufficiant.